



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CCLXXXVII. Ioannis Papae VIII. Ad Michaelem Regem Bvlgarorvm.
Miratur quod legatos non miserit, quemadmodum iamdiu promiserat.
monet vt id quamprimum faciat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

EPISTOLA CCLXXXVII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD MICHAELEM REGEM BVLGARORVM.

Miratur quod legatos non miserit, quemadmodum
iamdiu promiserat. monet ut id quam-
primum faciat.

*Dilecto ac spirituali filio Michaeli glorioſo regi Bulgarorum;
gratia vobis, & pax a Deo Patre, & Domino
Iesu Christo.*

MIRAMVR quod tanto iam tempore transacto missos
vestros ad sanctam Romanam ecclesiam matrem
vestram, & ad nos non transmisisti. Modo vero (sicut no-
bis retulit Theodosius venerabilis episcopus) missos tuos
cum eo dirigere promiseras: sed pro qua causa eos dirige-
re prætermiseris, ignoramus. Vnde vos iam recognoscere
oportebat, etiam ad pastorem & pontificem animarum
vestrarum reuerti tota deuotione debueratis; vnde his no-
stris apostolicis literis, vos quasi carissimos filios admone-
mus & exhortamur, vt de præsenti vestros idoneos missos
nobis transmittere non dubitetis; quatenus ab vberibus
matris vestrae sanctæ videlicet Romanæ ecclesiæ satiemi-
ni, omnique bono repleamini. Quia nos more paterno vlnis
extensis vos amplecti, & quasi oues Christi nobis commis-
fas alere & saluare parati existimus, secundum quod Do-
minus dicit beato Petro: *Pasce oues meas:* quidquid enim
vobis dirigimus, credere omnino potestis quia pro salute
vestra semper agere ac perficere incunctanter cupimus.
Optamus vos in Christo nunc & semper bene valere.

Johann. 2.15